

itur. in 6. & de hac attritione loquitur
 tex. in c. quod quidam, de pen. & remis.
 Nauar. c. 1. nu. 36. & 37. & c. 9. num. 10.
 15 † Sed an iste sic confitendo satisfaciatur
 præcepto annalis confessionis, non est
 præsentis temporis quod disputare: sed
 obiter respondeo, hoc non, ita Sot. in
 4. senten. distin. 18. quæstio. 3. articu. 3.
 16 † Postremo, secundum Caietan. in ver.
 contritio, pœnitentia eorum, qui detestantur
 peccatum super omne detestabile, &
 proponunt vitare super omne vitabile,
 dicitur contritio in formis, id est
 attritio nõ formata charitate, quousque
 Dominus Deus ob suam misericordiã
 gratiam suam illis impartiat. Sed secundum
 communem, eius sententia reprobatur:
 quia statim illis habentibus talem pœnitentiã,
 Dominus Deus elargitur gratiam, &
 subinde non inuenitur sine gratia. Nauar. c. 1. nu. 36. & 37.
 17 Colligitur † ergo ex iis, Cõfessarium
 tunc debere obligare pœnitentem ad iterandam
 confessionem, vel quando nulla illi fuisset,
 vel esset detestatio criminis, etiam quod
 fictionem illam homo confiteatur, vel quãdo
 nullum esset propositum mutandi vitam,
 vel haberet quandã voluntatem, Sotus
 dist. 18. q. 3. art. 3. Nauar. c. 9. num. 10.
 Verum si dolet, & proponit se vitare,
 licet non perfecte, si credit se habere
 sufficientem dolorem, tunc si dolor est
 principaliter propter Deum, quinimo etiam
 si ob timorem, illa attritio transit in
 contritionem, adiuncto sacramento.

[Rursus collige, attritionem dici disti-
 18 splentiam imperfectam. † Huius vero
 attritionis septem sunt species: Nam
 quatuor sunt attritiones perfecta; &
 dicuntur perfecta; quia sufficient cum
 sacramento ad remissionem peccatorum:
 Huiusmodi sunt hæc. Prima dicitur illa,
 qua tantum dolemus de peccatis, sed
 non ita feruide; & super omnia, ut par
 erat, Viet. num. 121. Secunda, quando
 concipitur dolor propter Deum, cre-
 dens se habere sufficientem dolorem,
 sed in veritate non habet. Nauar. cap. 1.

num. 37. Tertia, quando putat se dole-
 re propter Deum, sed non dolet nisi pro
 pter metum gehennæ, de iis loquitur
 Sotus in 4. sen. d. 17. q. 2. ar. 5. col. 5. & 7.
 Quarta, quando concipitur dolor ex
 metu gehennæ, vel diuini iudicii consi-
 deratione: modò illa duo concurrant,
 de quibus supra, à nu. 4. vsque 8. Attritio-
 nes vero imperfectæ, quæ cum sacra-
 mento non transeunt in contritionem,
 sunt tres. Prima, quando quis dolet de
 peccatis, solum propter gehennæ timo-
 rem, vel pœnæ temporalis pro peccatis
 infligendæ, de hac loquitur Conc. Trid.
 sess. 14. cap. 4. Adde etiam quando quis
 tantum dolet amore virtutis, aut propter
 gloriam amissam: ratio est, quia ortum
 habet ex amore proprio, qui teste Aug.
 de Ciuit. Dei, c. 24. Babylonis ciuitatem
 ædificat. Secunda est eorum, qui do-
 lent peccasse, sed non omnino statuunt
 animum à peccatis abstinere, & hæc est
 attritio impenitentium, de qua loquitur
 tex. in c. quod quidam, extra de pœnit.
 & remis. Tertia, quando dolor præci-
 pue concipitur propter metum, hac ta-
 men voluntate, quod non cessaret à pec-
 cato, si penas non timeret, Conc. Trid.
 vt sup. Et in iis casibus sic attriti non so-
 lum non cõsequuntur gratiã cum sacra-
 mento, sed peccant sic petendo, vel reci-
 piendo absolutionẽ, Nau. d. c. 1. nu. 37.]

S V M M A R I V M.

- 1 Contritio pluribus nominibus appellatur, iuxta multiplices eius virtutes.
- 2 Contritio quid, & dolor quousque accipiat.
- 3 Contritio, causa est doloris, & dolor comes pœnitentiæ.
- 4 Contritionis alia definitio. & de habitu pœnitentiæ.
- 5 Doloris assumpti examinatio.
- 6 Dolor voluntatis de necessitate in contritione requiritur maximus, quod qualiter intelligatur, num. seq.
- 8 Dolor sensibilis de congruitate, quantum esse debeat.